



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

[Præfatio.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)



TRACTATUS QVARTVS

D E

SACRAMENTO
EUCHARISTIÆ*Ad quæst. 73. Divi Thomæ, usque ad 84.*

P R Æ F A T I O.



seff.
13.
cap.
2.

*E*t si nullum Religionis mysterium sit, quod non merito in genti-
moris miraculum nuncupare liceat; adeo tamen cetera super
unum Eucharistiæ sacramentum, adeoque insolita, & stupenda
completitur, ut potiori jure inter amoris miracula summum, ul-
timus amoris conatus, quo vires suas experiri voluit, ultima
que meta dici possit, & quo Salvator (ut Tridentinum inquit)
amoris sui divitiis omnes effudit. Non miror quæ a San-
ctis Patribus in hujus sacramenti commendationem plurimæ congestæ sunt, neque supra
verum est quod jam inter primæ nascentis Ecclesiæ initia Martyr Ignatius scripsit, et
se antidotum mortis, pharmacum immortalitatis: quod postea Hieronymus,
omnium novitatum novitatem esse: quod Germanus Patriarcha Constantinopo-
litanus, esse arcam luminum: quod Damascenus, esse officinam miraculo-
rum: quod Græci Patres *ἡ δαδὴν τῆς ζωῆς*: quod sua vius, ut solet, Bernardus, San-
ctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amorem amorum, dulce-
dinem dulcedinum; & iterum cum ita Sponsam compellat, Gratulare Sponsa
gaude incomparabiliter gloriosa, & amabilis sponsa. In terra sponsum ha-
bes in sacramento, in cælis habitura es sine velamento. Et hic, & ibi veri-
tas: sed hic palliata, ibi manifesta. Multo plura excogitavit Matthæus VVro-
matiensis, dum ita præclare Sacram Eucharistiæ his nominibus nuncupat: Redem-
ptionis memoriale, pignus hæreditatis æternæ, futuræ jucunditatis amabile
præludium, artha Sponsæ, jocale divinum cœlitus ei donatum, Ecclesiæ mi-
litanæ

PRÆFATIO.

litantis cum triumphante suave glutinum, & unio fraterna, dum eam dulcedinem qua illa fruitur sine velamento, ista habet sub sacramento: & si illa cœlestis Hierusalem habet Deum suum jucundiùs, ista in terra militans habet eum mirabiliùs. *Sedeam omnem commendationem, & si que ceteris excogitanda relicta sit; mihi videtur Tridentinum hoc uno verbo complexum fuisse, amoris sui divitias omnes in hoc Sacramento Salvatore effudisse. Unde festinè quidam dixit: hic Hercules divinus amor posuit, fixitque columnas, & dixit, non plus ultra. Scilicet excurrit quantum potuit divinus amor, & cum ultimam metam, extremumque limitem in Eucharistia sacramento attigisset, spatii magnitudinem & cursus velocitatem miratus ac pene stupens stetit, postisque columnis dixit, non plus ultra.*

Sane non est quod post hujus sacramenti institutionem & usum aliud Ecclesia desideret: habet in uno cibo integram hereditatem, ut illud Isaiæ vaticinium impletum sit: Cibabo te hereditate Jacob. Hic enim divina Eucharistia cibus, una hereditas est, à morituro jam-jam, & testamentum condente Christo, Ecclesie constituta, cujus vacuum, undamque imaginem, cumulatorem felicitate Jacobum, Isaac parens existimabat. Ita enim senex Isaac precabatur, cum jam suis votis, & Jacobi filii felicitati, nullam mensuram adhiberet, sed divitias omnes & cœli, & soli effundendas & congerendas peroptaret: Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. Sed quid roris è cœlo, è visceribus terræ pinguedinis abundantia significet, si ad Ecclesiam referatur? Non est adeo difficilis hujus figure explicatio, ut divinatione opus sit, ubi vini & frumenti mentio incidit. Sed ut hujus vaticinii mysterium omne detegam, Isaias olim Divini Verbi personam, non alio quam roris nomine, mittendam postulabat: Rorate cœli desuper: nec alia terra fecunditas est, quam Beatæ Virginis, quam idem Vates aperiri, & instar germinis parturiri Salvatore peroptabat: Aperiat terra, & germinet Salvatorem. Cum igitur Eucharistia sacramentum, Angelorum, sortiumque panis, & animarum cibus, divinitatem omnem, quanta quanta est, Divini Verbi personam, & humanitatem Christi habeat; integra est, & quâ nec major esse unquam possit, in uno cibo Ecclesie hereditas, cujus solâ imagine felicem sese Jacob olim existimabat, seque solabatur, & quam omnino cum nostra commutasset. Sed hic cibus reficiendis animis debebatur, hoc potu recreandus erat homo, nec alio remedio expellendum erat infusum visceribus antiquum virus: unde merito Sedulius lib. 1. operis Paschalis, hoc carmine Christum compellat.

Qui pereuntem hominem, vetiti dulcedine pomi,
Instauras meliore cibo, potuque sacra-
ti Sanguinis, infusum depellis ab angue venenum.

Longum esset plura hic prosequi, & me diutius in limine distinerent, si colligerentur que hinc inde, ut occasio feret, sapiùs spargam. Sed hæc pauca præterire non potui, ne illotis manibus Divinissimam Eucharistiam attingerem, & in divina mysteria temere irruere viderer; sed ut demisso animo, & post salutatum & adoratum in limine numen, me accedere, eâ Præfatione restarer.

Sed antequam hinc abeam, unum mihi addendum est, ut ubique soleo, quod ad Angelici mei Præceptoris commendationem spectet. Non fefelli te (AMICE LECTOR) cum in Præfatione Tractatus de attributis, Ecclesiam cum paradiso
terre-

PRÆFATIO.

terrestri contuli, cuius universam faciem, instar fontis, in quatuor capita diffusa, D. Thomæ Summa veluti effusis aquis irrigat. Sed alterum est quod tam collationem illustret; Eucharistia sacramentum esse arborem vitæ in medio Paradisi confirmat, & D. Thomam Cherubinum, cui hujus arboris custodia demandata est. Id Tolosani Patres in eo Mausoleo, quo D. Thomæ Sacre Reliquiæ reconduntur, egregie expresserunt, ubi infra deauratam imaginem, adeo exactè elaboratam, adeo ad vivum expressam, ut in ea sese ars mirari possit, & nihil præter vocem dei se putes, quâ Angelicus Doctor ita representatur, ut alterâ manu sacram Eucharistiam, alterâ gladium versatilem, & flammeum habeat, hi versus adpietæ sunt.

Ex Evangelii folio Cherubinus Aquinas,
Vitalem ignito protegit ensæ cibum.

Et sanè uni D. Thomæ à ceteris omnium scholarum Doctoribus, Sacre Eucharistiae curam & custodiam veluti demandatam, & ab eo luculentius, & validius hoc sacramentum & explicatum & defensum fuisse, adeo nemini dubium est, ut extraneos etiam testes in hujus rei fidem producere liceat. Ita enim Iacobus Grenados, Societatis Jesu, Controversiâ sextâ de Eucharistia, in Præfatione cap. 1. scripsit: Inter omnes Theologos Scholasticos principem locum obtinet sanctus Thomas, Angelicus Doctor, huic Angelorum panis devotissimus; ita ad sacramentum hoc cognoscendum, explicandumque, divino lumine perfusus, ut propterea, quæ de Eucharistia dictavit, illam Salvatoris nostri laudem bis meruerint; Bene scripta hæc sunt. Et Ecclesia universalis volens in hujus almi Sacramenti honorem, solemnissimum festum instituere, non alio officio, quàm eo quod S. Thomas ordinavit, celebrare decrevit. Hæc ibi citatus Author: quibus subjungit. Quare si in omnibus disputationibus Theologicis, in hac certè, peculiari studio, mentem S. Thomæ & attingere, & declarare, illiusque sacris vestigiis insisteret, Deo juvante conabimur.

Hæc omnino à me dicta esse velim intelligas (AMICE LECTOR.) Quod enim, si extranei ita sese Divo Thomæ addictos esse profitentur, nec ab ipsius doctrina vel latum unguem recessuros: de Discipulis tibi statuendum putas? Sanè verissimè statues, si ita dixeris; id quidem extranei omnes pollicentur, sed id soli Discipuli implent.

Cæterum cum hæc infelicitas Christianissimi & florentissimi regni habeat, et medios inter Ecclesiæ, fideique hostes, Calvinistas, versemur (quamvis plures inter præcipuos & Antesignanos, in sinum Ecclesiæ quotidie redeant, & spes sit, hæresim, quæ penè vires nullas habet, brevi omnino extinguendam) quibus necesse sit sapius in controversiam venire, & Eucharistiæ veritatem, realitatem Christi præsentiam sub speciebus Eucharisticis, quam negant, propugnare; opus pretium me facturum existimaui, & rem Theologis perutilem, si in ipso hujus Tractatus lumine, Disputationem præmitterem, quâ veritatem hujus sacramenti validè defenderem, ut inde veluti ex Panoplia refertissima, Lector argueret omnia depromat, quæ ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & Theologorum præ-

P R Æ F A T I O.

capis deduci solent, ad Sectariorum errores refellendos, & Ecclesia Catholica fidem propugnandam; & cum præterea potissima sit hujus Tractatus assertio de vera & reali Christi presentia in Eucharistia Sacramento, quæque ceteras longè superat, imò quàm semper inter præcipua fidei Christianæ mysteria, tota antiquitas reposita, æquissimum visum est, ut primum locum quem dignitate sibi vendicat, etiam ordine obtineret.

LAUDETUR VENERABILE
SACRAMENTVM.

